S.

Imperatoris titulum habes in diplomate tuo: nomina-
tur invictissimus, potentiss. sacratissimus. De rege
Francorum Christianissimo non est quod adijciam quic-
quam, nisi ut Galliae nomen caveas, imitatus veteres
historias, nummos, inscriptiones. Germaniae principes
illustrissimos, excellentissimos, celeberrimos, alijsque
honorificis appellari nominibus antea nosti. Syrmata
longiora addidi, si fortasse tibi placebunt.

|| Guilielmum & Ludovicum fratres, Land. Hess. con-
jungas velim: || Cratonis literas ad te nuper misi,
measque vicissim ad illum, quam primum utrasque
mihi copia facta est inspiciendi. Nisi ille jam
antea monuerit, quid sibi apprime faciundum videa-
tur: frustra puto expectabis responsum, prae-
sertim quum jam ultima operi tuo manus imposi-
ta sit. Atque vereor sane, mi Dresserae, et valde
equidem vereor, ne non eo jam satis tempestive
istuc perveniant: cum quod tardius mihi tuae fuerint
~~fuae~~ redditae, tum quia ipse meas celerius mittere
non potui, destitutus opportunitate; nisi maluissem
Argentinam duntaxat illas ablegare, ubi deli-
tuerint. Huld. Fuggeri orationem cum suis
notis nondum esse excusam, ut quidem antea ad te
scripsi: quid sperandum sit, nescio, rebus '' omnibus tam
in integrum restitutis: quas si principis arbitrio
concordiae transigendas, brevi fortasse erat fu-
turum, ut sui reciderentur, quo et aequi-
tas et principis auctoritas viam demonstraret
planissimam. Lexicon Latinograecum quando lite-
ras suis, eo te ipso, rescribi. ad nundinas ne proxi-
mas, an paulo post? # Bezam, Portum, Scrimgerum
resalutabo. Vale & uxori T. suaviss. ex me S. D.
Datum XV Jan. anno Christi CIϽIϽLXXII.

M.

|| quorum titulus Friderico tuo notissimus erit, sunt enim principes patriae illius.

'' illius

libros ad Cratonem perferendos Ribelio mittas.

D.

Henrico Stephano viro
longé doctiss. amico suo
veteri.

A Geneve.

citò
Citò

Absente eo, Friderico
aperienda.

Melissus.